

rogantiam Carlstadianorum, qui sibi placent, quasi  
Luthero queant conferri, cuius umbram non as-  
sequuntur, cum omni eruditione, quam iactant.  
Semper mihi magnus fuit Lutherus: at iam mihi  
maximus est. Vidi enim presens & audiui, quae  
nullo calamo tradi possunt absentibus. Ego forsi-  
tan in iudicanda vera doctrina non omnino trun-  
cus, sic iudico, neminem esse, qui possit odisse Lu-  
therum, si eum nouerit. Indicant libri Spiritum  
Lutheri: sed si propius inspexeris hominem, si  
de rebus diuinis ipsum audieris Apostolico spiritu  
differentem, tum dices: Vincit presentia famam.  
Maior est Lutherus, quam ut a quouis sciolo  
debeat aut possit iudicari: Dicam quod sentio:  
Scribimus quidem passim, & tractamus scriptu-  
ras: absit inuidia verbo, sed Luthero collati, di-  
scipuli sumus. Hoc iudicium, non ex amore fluit,  
sed potius amor ex iudicio: Neminem contemno:  
malo contemni, quam laudari: sed rursus, con-  
temni Lutherum electissimum illud Spiritus San-  
cti organum, non patiar. Er bleibt noch wol ein  
Theologus für der ganzen Welt / das weis ich /  
ich kenne ihn nu baß denn zuvor / ehe ich ihn hab  
selbs gesehen vnd gehört. Hac Regius. Similia  
sepe D. Philippus dicere solitus est, & nominauit  
Lutherum aurigam & currum Israëlis, & postre-  
mae aetatis Eliam, de quo crebro versum repetyt:  
Nulla ferent talem secla futura virum. Cumq;  
dona praeceptorum & maiorum nostrorum con-